Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2551

Quelle:
Copyright:

VIII. *fol.* 178. Aliud ejusdem Thematis Opuſculum in illud: *Videte, quomodo caute ambuletis non quaſi inſipientes* &c. *ad Eph. V.* Minus ſcatens piis fabellis, ac antecedens.

IX. *fol.* 189. Collectio *Sermonum* in Dominicas Anni ſumto ab *Adventu* exordio, et in quaedam Feſta, quorum aliquibus adſcripta ſunt nomina obſcurorum Virorum *Wenck*, *Trutzenpach*, *Wiſenburg*, *M. Sebaſtiani* &c.

DCLXXIII.

217 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XV. Folior 239. f. currenti calamo per duas Columnas exaratus, olim, ut in anteriore theca intus notatur, *Johannis Stinglhaymer* Canonici et Plebani in *panbergh*, continet ſequentia: I. rubro: *Incipit directorium Magiſtri Johannis aurbach egregii decretorum doctoris compoſitum pro ſacerdotibus.* Initium Praeloquii: *Ad laudem dei animarum ſalutem curatorumque ſimplicium breuem et ſimplicem directionem infra ſcripta ex textu iuris canonici doctorum dictis ac alijs prout miniſtrauit altiſſimus duxi licet ruditer colligenda In duas pro ampliori ea diſtingwendo partes principales, quia primo agitur de practica modis et inſtructionibus quibus uti et ſe habere poſſit ſeu debeat confeſſor in audicione confeſſionis et penitentis expedicione. Secundo de Sacramentis eccleſie* &c. Opportunum hoc rudioris aevo illo Cleri ſubſidium typis opportunius reddidit *Güntherus Zeiner* in *urbe Auguſtenſi* 1469. f. inſcripſitque *Summam M. Johannis de Aurbach Vicarii Bambergenſis*, quem circa illud tempus in vivis etiamnum degiſſe putem. Meminere illius *Trithemius n.* 727. et alii, nomine ſubinde in *Ausbach* corrupto, neque Titulus *de Eccleſiae Sacramentis*, quem ſtatuunt, opuſculum exhaurit.

II. *fol.* 49. rubro: *Tractatus de ſuperſtitionibus.* Initium: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus* &c. *Pſ. 37. Conſtat fidem veram caritate informatam lumen exiſtere animarum* &c. More ſcholaſtico proceditur in tractandis quaeſtionibus, quarum prima eſt: *Utrum dyabolus illudendo poſſit immittere in animam hominis bonum uel malum. Et ſi bonum, utrum homo licite poſſit vti miniſterio ejus.* Sequuntur aliae de Sortilegiis, Auguriis &c. ubi multae illius aevi ſuperſtitiones notantur, quas utinam noſtro, quod *Philoſophicum* crepant, non repeterent fatui quidam Μυσηριοφιλοι! Extrema ſunt: *preſumpcione diuine voluntatis.* Autorem ignoro, niſi is ſit *Jacobus Junterbockius*, quem *de Superſtitionibus* L. I. ſcripſiſſe in *Theod. Petreji Biblioth. Carthuſ.* p. 152. invenio.

III. *fol.* 85. rubro: *Incipiunt decem precepta dinchkelſpuchel.* Sed fallit Miniator; ſunt enim *duo* Tractatus *Nicolai de Dünkelspühl* Theologi *Viennenſis* anno 1433. vita functi. Primus quidem *de Dilectione Dei et Proximi*, alter *de Praeceptis Decalogi*, qui nobis *fol.* 140. auſpicatur. Uterque extat